DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

QUAEDAM

DE

FEBRE CONTINUA

COMPLECTENS.

AUCTORE FREDERICO HAWKINS.

OMNIA, quae ullo in modo vires labefactant, aut corpus infirmius reddant, febris causae praedisponentes plane existunt; hoc est, corpus febri magis reddunt obnoxium, cum causae illae adsint occasionales, a quibus subinde excitatur. Hae causae praedisponentes sunt, animi affectus; corporis fatigatio immodica; ebrietas; cibi inopia; vestimenta nimis tenuia; hos-



pitia immunda, nec ut decet aëre perflata. Pauperes constat his causis multo magis esse obnoxios, quam qui rebus lautioribus fruuntur; illos praecipue, qui magnos urbes incolunt, ubi corporis munditiei minus attenditur, et intemperantia omnigena magis est familiaris, quam ruricolis. Vel eorundem artes quibus occupantur corpus praeparant; nam multi sic domo, praesertim artifices omnes, in totos dies occluduntur, adeoque aëre salubri privantur. Agrestes, contra, sub Jove laborare coguntur, et sic aëra purum respirantes, corpus sanum servatur, minusque fit morbi causis obnoxium excitantibus.

Etiamsi eorum tantum mentionem feci, quae, saepius proclivitatem solummodo corpori concinnant, horum tamen nonnulla, ut videretur, diutius adhibita, causae excitantes fieri possunt.

Itaque, febrem malignam, navibus et militum hospitiis frequentibus, ortam PRINGLE celeb. se vidisse, narravit. Urbis quisquilias extra pomoeria depositas eam producere posse affirmavit SENAC; atque STAHLIUS, a cibo concoctu

non facile, corporis defatigatione, animi affectu aliquando gigni posse.

Doctoris Chisholm sententiae, in libello, cui titulus, " Statistical Pathology of Bristol and Clifton*," his omnino contrariae sunt; nam non solum negat, sordes, domos male ventilatos, et alia hujusmodi contagionem procreare, sed Bristolienses porro, rebus jam supra comprehensis subjectiores, febre minus affectos esse, quam qui meliore loco nascuntur, et sic a causis illis quae excitantes hactenus habitae sunt, longius amoventur.

De regionibus oppidi aliquibus hunc ad modum loquitur: " The poverty, filth, closeness and stagnation of the air, the crowded population of most of these houses, are not to be conceived but by those who have witnessed them; and although I have visited some of the most loathsome of these habitations, and seen families, consisting of from six to ten individuals, inhabiting rooms not ten feet square, and breath-

* Edin. Med. and Surg. Journal, NO. 51.

ing an atmosphere which almost suffocated me on encountering it, yet never did I see an instance of typhus.

Qualemcunque sententiam ab experientia sua inferat CHISHOLM, nemo qui febrem vidit illam nuper in hac urbe grassatam, ab hac sententia non longe dissentiet; attamen hic morbus fuit, procul dubio, contagiosus, et haec febris species est quam significo quoties typhum simpliciter dixerim.

Quo modo cunque oriatur typhus, contagione saepissime dispergitur: quod contagium, haud dubio, existat, utique assumpsi pro vero et facto; quem dubitantes de hac re aegerrime argumentis cedere solent, et demonstratio sincera, in re medica, vix aut ne vix quidem assequenda sit.

Aliquas esse conditiones, quibus prae aliis, contagium facilius dispergitur, probe constat inter omnes. Aegroti corpus, dixit LIND, lotum probe et emundatum, magis difficile morbum producit, quam vestes quos gesserat, aut sordes cujusmodi; et hinc, ut avertatur, con-

tagium ad munditiem et ventilationem maxime animadvertendum est: cubiculi fenestrae semper patefieri, stragula et aegri vestimenta saepe mutari, stercus quoque cito amoveri debent, et, ut contagium penitus antevertatur, veneni artes extinguendi patefactae nuper fuerunt. Harum optimae sunt acidi muriatici et nitrosi vapores, quos semet intime cum materia contagionis conjungere, et *tertium quiddam* formare creditur, et sic eam reddere innocuam.

Plurimi olim modi adhibiti fuerunt. Pulveris nitrati deflagratio, sulphuris, et herbarum aromaticarum combustio; sed haec nunc rejiciuntur, et acidi nitrosi vapores in eorum loco substituti sunt. Hi vaporibus muriaticis antiponendi sunt, quia hos multo minore molestia respirat aeger, et hoc, eos aegrotos, quibus est pulmonum inflammatio, magni refert, quod in febre nuper in hac urbe saeviente videri consuevit.

Posteaquam a cubiculo aeger amoveatur, omnis supellex penitus perpurganda, quoniam non desunt exempla, quibus febris hoc modo

communicata est, longo post tempore cubiculum reliquerit aegrotus. Dr Gregory, in praelectionibus suis de hoc morbo amplissimis, se aegrum meminisse quendam narrat, febre affectum, cum in cubiculo dormiisset quod anno superiore alius occupaverat febricitans.

Febris pathologia adhuc in tenebris latet. Attamen in hoc, aeque ac in aliis, cum experimentis et factis veritatem assequi non possimus, nobismet satisfacere theoriis conjecturisque consuevimus. Theorias vero formare, etsi animo gratum sit, non est tamen semper innocens, et quas non raro sequuntur pessimi eventus, quorum finem nequit aliquis praevidere ; ac a virorum ingenii praestantissimi theoriis, malum febrientibus illatum esse, nemo non vidit, nullisque magis theoriis quam pulcherrimis celeber. Culleni ac Brunonis.

Quum, autem, illud quo corpus febricitans a corpore sano differat, nesciamus, nulla remedia ad eam removendam idonea, ante experimentum factum, judicari possunt. Nullius enim remedii homini adhuc sano adhibiti, af-

fectus rationem indicere queat, idem febricitanti dari oporteat.

Igitur medicinam optimam omnino ab experientia et symptomatum specie profluxisse videmus; quia, ut febris pathologia in nullo modo intelligitur, sic praxis, ab inani conjectura deducta, erronea esset et inepta; et nonnunquam procul dubio non tantum aegroti refectionem tardavit, sed mortem ejus utique concitavit; quamvis aeger morbo obluctari et resistere forsan potuerit, sed morbo vincitur, remediis, quamvis salutis nomine propinatis, pessime malo auxiliantibus.

Quoniam febris causam proximam omnino ignoramus, et aliquod esse remedium, quod in modo speciali ei mederi possit, nesciamus; ratio sola medendi est, quam sequi nos oportet, medicamina ea adhibere, quibus signa graviora leventur; et cum inflammatione viscera sunt affecta, veluti encephalon et pulmones, curationem, quae corpus refrigerit tam accurate observare, quasi horum viscerum affectio solus esset morbus. Harum equidem partium in-

flammatio, nonnunquam est febre ipsa periculosior.

Febre superveniente, dixit Armstrong, "the circulation loses its balance;" et hinc evenit, quod viscera varia tam saepe aut inflammatione aut congestione afficiantur; quae affectiones sunt dissimiles, secundum diathesin aegri propriam, et conditionem visceris affecti adhuc sanam, aut morbo mutatam.

Corporis animique functiones omnes aliquo modo perturbantur, et harum nonnullae non raro omnino impediuntur: secretiones et cibi concoctio prohibentur, cordis actio et arteriarum multimodis afficiuntur, functiones animales languent, quin et omnes saepe animi facultates (praeter forsan imaginationem) penitus extinguuntur.

Etiamsi haec sunt symptomata quae fere notantur, in aliis exemplis alia mala observanda sunt; modo enim pulmo accenditur, modo cerebrum vel cerebri membranae, modo iterum fauces inflammatione corripiuntur. Plurimis

quidem ventriculus prae aliis visceribus petitur; pulsus nunc plenus, durus ac fortis, nunc autem his contrarius; neque ulla varietas est, sive indicia sive aegri perceptiones respicias, quae tali febricitanti non contingat.

Sanguinis detractio ad febrem medendam saepe adhibita est; ac, etiamsi unum est e numero remediorum utilissimorum ad febres, quae in hac regione videntur, removendas; quoniam has febres sanguinis affluxus, organum versus quoddam vitae necessarium, fere comitatur; hujus tamen auxilii exhibitio perpetua, pro remedio febris ipsius, nullo in modo habenda est; et siquando fuerit adhibita, consilio non tantum fit, ut febris tollatur, quantum ut inflammatio minuetur, quae in ullo viscere fuerit, adeoque irritatio, quam inflammatio excitasset, compescatur.

Febris simplex continua sine venaesectione curari debet.

Liber, quem nuper juris publici fecit Doctor Armstrong, mihi perquam aestimabilis videtur, utpote, qui inter febrem forma simpliciore, et

febrem utcunque complicatam prudenter dignoscat. Quicquid vero de iis et de eorum ratione medendorum dixerim, hoc utilissimo auctore didici.

Praxis medicorum et classi et exercitui praepositorum, hanc theoriam confirmare videtur; nam his remediis, corporibus mederi contigit, quae vitam quam maxime inordinatam ac variam degere solent, fatigatione nimirum immodica, privatione multa et coeli mutatione, liquorum fortiorum abusu, hydrargyri demum in corpore creberrima operatione; quae omnia aegrum ad viscerum affectionem procliviorem reddunt; atque hi quidem seduli fuerunt in sanguine detrahendo. SYDENHAMUS in venaesectione adhibenda ab iisdem fere indicationibus quibus Dr ARMSTRONG directus fuisse videtur. In libro enim suo "De Febribus Continuis," postquam dixisset se, a corporibus debilibus senibusque, sanguinem ad febri medendum non detrahere; adjecit, "Attamen, ubi in contrariae indolis sanguinem incido, qualis in juvenibus athletico habitu, et temperamento sangui-

neo praeditis reperiri consuevit, primum in curatione locum phlebotomiae attribuo; quae sine salutis periculo hic omitti nequit. Nam alias non solum praenimia sanguinis ebullitione, phrenitidum, pleuritidum aliarumque, id genus inflammationum periculum immineret; sed prae copia etiam impeditio omnimodo circulationis, et totius massae quasi strangulatis consequeretur.

Nulla quidem in re clarius aut frequentius illud ab Armstrong dictum confirmari videtur: "That the most beneficial remedies are brought into disrepute, by having been employed without due respect to the varieties and stages of disease;" et haec porro verba optima habet, "and it is only by attending to minutiae that we can avoid an indiscriminate practice, and successfully ascertain the nature of fever, which often, like the human character, may be most clearly penetrated by making the development of what at first might seem minor circumstances."

Sanguis vero aliquando recte detrahatur, cum

minus curiosa symptomatum inspectio id prohibere videtur.

Febrientibus, quibus lingua et fauces aridae sunt, cutis ardens, facies pallida et anxia, quo tamen statu periculosissimo, nihil conquerentur, sed se optime habere profitentur, etsi virium depressio sit magna, lassitudo et mentis pigritia, cum vultu vacuo, tamen hoc remedium potentissimum et utilissimum nonnunquam prospere adhibeatur. Attamen, in his exemplis, syncope ne gignatur maxime cavendum est, nimirum quae lethalis fieri posset: quapropter sanguinem ex parte quadam potiusquam ex universo corpore mitterem: et quoniam conditio supra comprehensa sanguine intra cranium congesto oriatur, et detractio specialis hujusmodi quam proxime parti affectae fieri debet, hirudines temporibus admovendae sunt, vel cucurbitulae cervici posteriori, cute prius incisa.

Sanguinis missionis effectus sunt effectibus affusionis aquae frigidae similes, diutius tamen permansuri; corporis calor minuit, et pulsum minus frequentem reddit, et cutis vascula re-

laxat. In Nosocomio Regio per aestatem proximam frequentius adhibita est, haud sine commodo maximo, quando aqua frigidae affusio usurpari non potuit, quia affectus partium internarum adfuerunt, et praecipue pulmonum inflammatio, quae in hac febre tam saepe videbatur.

Attamen, etiam, nonnullos febrientes, qui visceris inflammatione ad vitam necessarii afficiuntur, sanguinis, ex parte, missione tractari necesse est; quoniam, morbo diutius manente, aeger infirmatur, et sanguinis ex corpore universo missionem subitam sustinere nequeat.

Sanguinis ex universo corpore missionis boni effectus, citius quam ex parte aliqua speciali, apparent. Unum vel duos febricitantes subito sanitati redditos vidi, ut opinor, hujus remedii exhibitione opportuna.

Febre continua superveniente, ventriculus imprimis laesus esse videtur: hoc quidem symptoma saepissime apparet, et aegrum pessime habet. Hujus partis affectus, a cibo, quem concoquere nequit, non raro magnopere auge-

tur; atque partium omnium corporis aliarum consensus cum ventriculo, perturbationem ejus graviorem reddere tendit.

Itaque, hoc symptoma aut levari aut amoveri ad febris curationem maximi refert. Quam ob causam, inter febris remedia locum insignem vomitoriis dari oportet; et quod eorum virtutes maxime corroborat, scriptores in omnibus aliis longe dissentientes, FORDYCE, SYDENHAM, CLARKE, LIND et ARMSTRONG, ut haec exhiberentur una voce consentiunt.

Dr FORDYCE, febribus quibuslibet tribus, duas subito vomitoriis tolli posse, affirmat; atque eadem, ineunte morbo, adhiberi suadet.

"Sane vomitorium propinare," dixit SYDENHAM, "ubi istiusmodi praegressa est vomendi proclivitas, adeo est necessarium, ut nisi humor ille expellatur, in sentinam complurium malorum sit abiturus, quae crucem figent medico, toto durante medicationis tempore, aegrumque in haud leve periculum conjicient. Ex horum praecipuis et maxime solitis est diarrhoea; quae ut plurimum in defervescentia febris consequi-

tur, quotiescunque emetica, quando ea suadebat indicatio, omissa fuere *." Et paulo post haec verba habet : " Porro etiam compertum habebis, etiamsi proclivitas illa ad vomendum jampridem praeterierit, diarrhoeam tamen quamprimum vomitorium exhibueris plerumque cessaturam ; dummodo emetico ferendo pares fuerint aegri vires : saepius autem observavi, diarrhoeam semel oborta, medicamenta adstringentia, vel nihil omnino, vel parum admodum ad eandem sistendam conferre †."

Vomitoria, igitur, medicamenta esse utilissima in febris curatione, argumentis probare nullo in modo necesse est, quoniam ab omnibus eadem exhibita idonea existimata sunt : et haec administrari, ab scriptoribus optimis de hac re, praescriptum est.

Vomitoria, in corpus majores et magis universos, quam aliud quodvis medicamentum intus datum, praestant effectus ; et quoniam affectus ventriculi fere sint febris indicia quae viden-

* Vid. Sydenham, Op. Om. p. 55. † Vid. Id. p. 56.

tur prima, et forsitan alia permulta, quae postea apparent, aut ex his oriuntur, aut ab his augentur, ventriculum vomendo deplere utilissimum fore vel prius alicui consideranti videatur.

Actio illa morbosa, quae inter febrem, encephalo fere consistit, longe insignior est quam ut animi attentionem, vel brevissimum tempus, latere possit. Attamen mihi non impossibile videtur, quod hic affectus, etsi non raro acerrimus, in nonnullis exemplis ex consensu solummodo oriatur: et hanc opinionem comprobatam videmus, a dolore diminuto postquam excitatus fuerit vomitus.

Consensus qui mutuus inter cutem ventriculumque intercedit omnibus agnoscitur.

In febribus vero, quibus tonsillarum inflammationem et ulcerationem videmus, ut ventriculi conditio morbosa, hunc affectum aliquo modo aut augeat aut excitet, verisimile videtur, quoniam aeger cynanche tonsillari affectus vomitu magnopere levatur.

Ventriculus, simul ac febris observatur, concoquendo cessat; cibus igitur, qui hic manet,

viscera concoctioni inservientia vexat, et hoc modo totum corpus cruditatibus offenditur.

Postquam vomitoria adhibita sunt, intestina inferiora utiliter movent, et ut catharticis multo facilius respondeant, efficiuntur.

Nunc, equidem, nonnulla eorum commoda videamus, quae a ventriculo deplendo producuntur. Capitis aut minuatur aut penitus amoveatur affectus; conditio sana vasorum cutis excernentium reducatur; faucium inflammatio arceatur; nausea molesta auferatur, et ventriculus noxiis expediatur, quae ad sanitatem redire eum prohibent; et morbus denique nonnunquam subito deleatur.—In medicamentis vomitoriis eligendis lenia simul ac efficacia anteferenda sunt. Mistura ipecacuanhae et tartratis antimonii nunc saepius exhibetur; nam haec mistura, non solum medicamenti vomitorii constantior fit, sed magis est quam alia quaevis intestina cutemque movere idonea. Indicium, tamen, est unum, cujus, cum vomitoria imperamus, nos semper reminisci oportet; sanguinis nimirum fluxus, caput versus, auctus, quem, praesertim si

ei actio arteriarum insolita adjiciatur, medici est semper sanguinis detractione sublevare; quoniam, inter vomendum, per aortam descendentem, sanguis vix et ne vix quidem fluere possit; et sic sanguinis major quantitas in caput transmittitur, quae si actio febrilis non minuatur, vasa quaedam cerebri disrumpat, et sanguinis effusio lethalis induceretur.

Aquae frigidae in corpus affusionem saepius medici nuper imperaverunt; atque si in eadem exhibenda Doctoris Currie mandatis rite pareamus, omnium quae nos possidemus, est remedium tutissimum et efficacissimum. Nam, quando in hoc modo exhibetur, si morbum impedire nequeat, anxietatem molestam semper arcet, sitim, robur et pulsûs frequentiam minuit, corporis mitigat calorem, cutis exhalationem movet, delirium levat; et his peractis beneficiis, "the patient," dixit auctor elegans idem, "sinks into that happy state, which is ill exchanged for the realities of life *."

* Vid. Currie's Medical Reports.

Attamen, ut hos bonos effectus certe obtineamus, sententiam illam opus erit in animo perpendere, " That it may be used with safety when the heat of the surface is *steadily* above what is natural, when there is no sense of chilness present, and when there is no general nor profuse perspiration." Et hoc consilium nunquam procul dubio impune negligemus.

Attamen, etiam, alia sunt signa quae accurate observare nos oportet: " In fevers," dicit Currie, " originating in, or accompanied by high local inflammation, which are attended by a disposition to chilness, I do not depend on, or recommend the use of affusion, cold or tepid." Quum inflammatio aut abdominis aut thoracis existeret, hoc remedium nullo in modo exhiberi debet; at quanto magis caput inflammatione afficeretur, tanto diligentius hoc remedio uti nos oportet.

Multa sunt exempla, aut pravo corporis habitu, aut actione cordis arteriarumque debili, necne hoc applicandum sit dubitamus; tametsi calor sit major quam corpore sano esse debet.

In hoc statu nonnunquam corporis lavatio spongia ex aqua adhibetur; sed hunc modum, patronus ille magnus hujus remedii reprehendit, et, ut opinor, non sine causa, si haec accurate proposuit: "It is not only less effectual, but less safe, for the system will often bear a sudden, general and stimulating application of cold when it shrinks from its slow and successive application."

In omnibus iis febribus, quibus affusio frigida applicari non posset, propter corporis debilitatem, aut actionem debilem arteriarum, affusio tepida haud sine commodo applicetur. Sed nec totius compaginis est concussio tam vehemens, nec affectus tam diu permanent. Sed febris finem versus, quum pulsus est frequens et debilis, et corporis calor diversus, temporibus partibusque diversis, partium ablutio si beneficium diuturnum producere nequeat, tamen semper aegrotantibus levamen praesens impertit, et quoties cervix, vultus, brachiaque aqua frigida lavantur, toties fere tranquillior fit aeger.

Attamen, si cum corpus aqua frigida lavan-

dum est, calor cutis et aegri sensus non accurate investigantur, atque si, ad corporis calorem cognoscendum, thermometro non utamur, sensibus autem nostris confidemus, negligentiae saepenumero nos poenitebit. Calor nobis equidem diversus videbitur, prout manus frigori antea objecta sit. Sic cutis nobis ardens videbitur, quando forsitan, reipsa, frigidior quam esse in corpore sano debet: et si in hoc statu corpus aqua frigida lavemus, sequelae molestae et nonnunquam procul dubio lethales supervenient; pulsus fluctuabit, respiratio fiet difficilis et accelerata, extrema quasi morte frigent, modo vis vitae non omnino deleatur, aeger imbecillus factus, refectionem longe diuturniorem patitur.

Animadversiones, de aquae frigidae usu externo quae nunc producuntur, quodammodo usum ejus internum dirigere possunt.

De illis remediis utique summis, sanguinis nempe detractione, vomitoriis, aquae frigidae affusione, haec habui quae dicerem. Et nunc in animo est, pauca de iis proferre, quae etsi haud

raro necessaria, tamen usus non tam universus, et effectus eorum sunt certe minus notabiles.

Remedium est purgatio, quo, in omni fere morbo, utendum est; faeces quidem noxias amovere ab intestinis nullo in modo negligere debemus, quod in febribus utique continuis auxilium est, si quod aliud, non unquam omittendum; et hoc fieri oportet, non tantum largis purgantium portionibus subinde exhibendis, quae ventriculum offendant, quantum mitibus laxantibus saepius repetendis. In forma, quidem, minime injucunda sumenda sunt; solutio super-tart. potassae utilis est ad hanc rem, potio praeterea acida est gratissima. Sed si astricta sit pertinaciter alvus, nec aperientibus hujusmodi cedat, medicamenta deinceps efficaciora administranda sunt, ut infusum sennae et magnesiae sulphas hydrarg. submur. vel enema quoddam. Attamen, his exhibendis, nulla perpetua sunt praecepta quae sequi debemus. Prudentia medici tantùm ipsum admonere possit.

In iis febribus, quae cum inflammatione speciali junguntur, magnas hydrargyri submuriatis

quantitates ministrat Armstrong; scrupulum bis die exhibetur, ita non tantum effectus purgans certe obtineatur, sed etiam in corpus modo speciali agat, et cum salivationes moverit, suis in verbis, aequabilem sanguini motum conciliat, qui, febre superveniente, semper perturbatur. Verisimile mihi videtur, hoc medicamentum aliquo modo inflammationem reprimere posse, etiamsi alvum nequaquam moveat; nam maximum commodum hoc oriri videmus, cum in cynanche tracheali vel in hepatitide adhibeatur.

Vesicantia in iis tantum febribus applicari debent, quas partium inflammatio comitatur; atque quando nulla est affectio specialis non solum inutilia, sed, reipsa, nocentia videntur; nam haec irritationis sunt causa perpetua.

Remedia, quorum modo mentionem sic feci, tametsi omnium sunt efficacissima, non semper aegro adhibenda sunt cum eum primo videmus; quoniam nonnunquam accidit, ut signa acerrima, curatione minus perita, producta fuerint. Verisimile est aegrum multis toralibus onustum esse; aëra respirare, qui sui corporis exhalatio-

nibus inquinatur, et calefactus igne qui semper in cubiculo servari solet; symptomata, ab his causis provenientia, aut minuentur aut omnino amoveantur, quando hae causae agere cessaverint.

Haec, imprimis animadvertere et emendare medicum maximi refert; et si febricitans loca male ventilata squalidaque habitat, qualia sunt domus pauperum qui magnas urbes incolunt, ad nosocomium mitti necesse est, ubi aëra puriorem respirabit, a calore non opprimetur, et cutis lavetur; quo facto, maximum beneficium, paucis horis, producitur.

Per totam febrem continuam, sive simplicem sive inflammatione aut congestione conjunctam, indicia sunt plerumque perspicua. Et cum iis modis utimur, qui ad symptomata nocentissima amovenda maxime sunt idonei, plerumque videbimus nos esse feliciores, quam cum, de pathologia aut de remediorum modo operandi, cogitemus.

In febris vero curatione animum aegri diligentissime curare, prae omnibus munus est me-

dici (quod hactenus silebam). Omnia, quae solicitum reddant aegrum de negotiis suis, de familia sua, aut de seipso, studiose evitari debent. Etenim, animo vexando, non solum ubi ad hoc est proclivis, delirium concitare valebit, sed consensu, qui intercedit corpus inter animumque, actionem quamvis morbosam visceris cujusvis augeat, et sic morbum aggravet atque protrahat.

Effectus, hepati ventriculoque ab mentis irritatione, paratus, ab omnibus agnoscitur, quorum, autem, in omnibus corporis partibus, imperium, ut ab omni perturbatione liberentur, necessario efficit.

Si remedia, quorum jam mentionem feci, rite exhibeantur, morbus plurimis exemplis feliciter desinet, et plerumque quatuordecim circiter dies post impetum febris remittere coepit. Sed quando hoc accidet omnino incertum est, quia fauste die etiam tertio vel quarto nonnunquam evenit; sed si optime curatus sit aeger, hoc est raro expectandum.

Dum convalescat febriens, quo pauciora me-

dicamenta exhibita, eo citior et certior erit refectio: ea quidem solummodo quae actionem viscerum sanam conservant, sunt necessaria. Ex iis, quae vulgo tonica vocantur, vinum rubrum optimum esse existimo. Cinchona, quae olim tantum laudabatur, functiones intestinorum haud raro perturbat.

Cibus lenis atque concoctu facilis exhiberi debet; fatigationem et frigus evitare necesse est; se exercere magis magisque quotidie aegrum oportet, et sic ad vitae habitum solitum sensim redire decet.

Febrientium corporum sectiones multas variasque morbi species monstraverunt: aquam nonnunquam in cerebri ventriculis inesse videmus; cerebri gangraenam aut suppurationem, intestinorum gangraenam, pulmonum inflammationem, et similia. Aegri tamen hoc morbo affecti, siquando mortui sunt, nihil morbosi, corpore resecto, ostendunt. Atque, ex hoc solo, ni fallor, febrem non alius morbi symptoma, ut auctores putaverunt nonnulli, sed morbum primarium esse recte inferamus. Quin et visce-

rum variorum inflammationem aut congestionem aut earum sequelas, quae post mortem videntur, potius hujusce morbi effectum adventitium, quam causam universam, tutissime judicemus.

FINIS.